



Per.
Lat
020

Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse
Laptulajdonos: Katolikus Középkolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catho-
licorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — admini-
stration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER
REGÉNYI, Budapest, XI., Fehérvári-út 13. (tel.: 269-057).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction),
ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR.,
Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268-634).

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1941—42: 3 pengoe, extra
Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartata (vulgo: chèque) postalis in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gen-
tium unde pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis
decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit.

De moribus anni incipientis.

Singuli populi orbis terrarum principium anni
ritu antiquitus¹ servato celebrant. In portibus
regnorum Scandinaviae matutino tempore anni
incipientis ducibus urbis praesen-
tibus omnes donantur, qui anno
praeterito vitam hominis in
mari conservaverunt. Quoddam
proverbium Malaiorum dicit
primo die anni incipientis omnes
animi motus hostiles reprimen-
dos esse. Si duo Malaii anno
praeterito inter² se² iras² gere-
bant,² ex consuetudine nocte
Sylvestris apud mensam com-
munem poculum pacis exhau-
rire et pacem dextrā³ datā³
confirmare debent.

Sinenses anno ineunte paeni-
tentiam⁴ agunt. Toto anno licet
eis bibere, fenum⁵ tabaci⁵ et opi-
um haurire,⁵ pecuniam mutuum
dare, sed anno incipiente absti-
nent se omnibus his rebus.
Viventi Sinensi Kal. Ianuariae
dies paenitentiae anni sunt.
In Bolivia et in Paraguya
nocte anni incipientis templa

frequentantur et multitudo pro pace orat.
Haec est unica nox toto anno, cum viri cultros
sclopetulaque⁶ domi relinquunt. Symphoniaci Mel-
burnenses caro cum ritu annum
ineuntem colunt. Vesperi Syl-
vestris in maximo atrio publico
urbis certamen⁷ musicum⁷ quae-
stus⁸ inopibus⁸ pauperibusque
editur.

Anna Fridli disc. cl. VII.
Angelani Bp.



Lucerna nocturna Aquinci inventa, quam
strenam (= donum Calendis Ian. datum) fuisse
inscriptio demonstrat: «Annum novum fau-
stum felicem iucundum»

¹ ósidóktól fogva = von uralter
Zeit her = de toute antiquité
² haragot tart egymással = auf
einander zürnen = l'un est brouillé
avec l'autre ³ kézfogás = Handschlag
= poignée de main ⁴ bűnbánatot
tart = Buße tun = faire pénitence
⁵ dohányozni = rauchen = fumer ⁶ re-
volver ⁷ hangverseny = Konzert
= concert ⁸ munkanélküli = ar-
beitslos = sans travail

LECTORIBUS MINIMIS

Jocosa.

1. Pater: Cur ploras Ioannes? — Ioannes: Heri caput¹ mihi percussus¹ est a puero vicino. — P.: Cur non plorabas heri? — I.: Nam heri nemo erat domi.

Vir² uxori² obnoxius.² Vicinus: Dic mihi, Ioannes, quis vestrum³ domi valde timeat matrem? — Ioannes: Pater.

3. Pater ad filium: Dic mihi, Antonius, quomodo examen feceris? — F.: Bene pater. Dominus professor valde religiosus erat. — P.: Quomodo religiosus? — F.: Ita. Post unumquodque responsum meum dixit: «O Deus, Deus!»

4. Discipulus: Nuper⁴ avo scripsi, ut mihi 20 Pengoe mitteret, nam sclopetulum⁵ empturus sum, ut mortem⁶ mihi⁶ consciscam.⁶ — Amicus: Et quid respondit? — Disc.: Misit mihi 2 Pengoe, et scripsit mihi etiam restim⁷ bonam et minoris⁸ pretii⁸ esse.

5. Petrus: Tu, Paule, quin asinus sis, nihil tibi, nisi cornua absunt! — Paulus: Sed asinus non habet cornua! — Petrus: Recte dicis, iam tibi nihil abest! *Michael Kycaki disc. Munkacsiensis.*

1. Tasilo (ad ductorem curruum⁹ vapore⁹ actorum⁹): Dic, domine, paulum citius ire non possis? — Ductor: Ego possum. Sed mihi non licet locomotivum relinquere!

2. Postmeridie, horā secundā campana¹⁰ sonat (= vocem mittit). Dominus A.: Tu, nescis, quamobrem campana sonet?

Dominus B.: Funis⁷ certe trahitur campanae. 3. A.: Quamobrem in valetudinarium¹¹ devenisti? B.: Propter avaritiam. Nuper imber maximus erat, et non automobili usus, sed pedibus domum ivi, et madefactus¹² inflammatione¹³ pulmonum¹³ implicatus sum. Et tu quamobrem huc devenisti?

A.: Quia non fui avarus, et automobili usus domum ire volui.

4. Iudex: Cum vidisses socrum¹⁴ ab his tribus viris mulcatam¹⁵ esse, quare non auxiliatus es?

Reus¹⁶: Putabam, quaeso, socrum a tribus viris satis mulcatam esse!

5. Ductor hastae¹⁷ publicae¹⁷ Domini, quaeso, haec domina anulum adamantinum¹⁸ amisit. Probus inventor 50 Pengoe accipiet!

Tasilo: 55!

6. Magister: Unde (= ex quo) aetas anseris¹⁹ cognoscitur? — Discipulus: Ex dentibus. — M.: Asinus es, Anser dentes non habet. — D.: Non ignoro, sed ex nostris dentibus cognoscimus.

Petrus Szende disc. Ceglédiensis.

¹ fejbever = auf den Kopf schlagen = frapper sur la tête ² papucshős = Pantoffelheld = mari soumis ³ közületek = von euch = de vous ⁴ minapában = unlangst = de l'autre jour ⁵ reyolyer = öngyilkosságot követ el = Selbstmord begehen = se suicider ⁶ kötél = Strick = corde ⁷ olcsó = wohlfeil = bon marché ⁸ vonat = Zug = train ⁹ harang = Glocke = cloche ¹⁰ kórház = Spital = hôpital ¹¹ átvázva = nass geworden = tout trempé ¹² tüdőgyulladás = Lungenentzündung = pneumonie ¹³ anyós = Schwiegermutter = belle-mère ¹⁴ elpáhol = durchprügeln = charger de coups ¹⁵ vádlott = Angeklagter = accusé ¹⁶ árverés = Versteigerung = vente publique ¹⁷ gyémánt = Diamant ¹⁸ liba = Gans = oie

1. Quaedam ancilla, quae nondum pridem in oppido famulatur, perfrigescit.¹ Domina commendat ei: «Maria, nocte pone apud te lagoenam² ad lectum² fovendum!»² Postero die ancilla mane interrogata: «Maria, qualis fuit lagoena?»³, «Initio — respondet — paululum frigida fuit, sed dum illuxit³, bene calida facta est.»

2. Gemini eunt in⁴ publico.⁴ Aliquis interrogat eos: «Fratres estis?» Illi respondent: «Non, gemini sumus.»

3. Medicus: «Domine, multum vini bibis, quod nocet valetudini⁵ tuae. Postea tantum post cenam bibe!» Post sex dies occurrit ei medicus et mirans exclamat: «Domine, quam⁶ bona⁶ habitudine⁶ corporis⁶ sis!»⁶ Ille: «Noli mirari domine medice — inquit — quotidie sexies cenavi.»

Ioannes Tóth disc. Csurgonensis.

¹ meghűl = sich erkälten = se refroidir ² ágymelegítő palack = Warmflasche = chauffe-lit ³ megvirradt = es ist hell geworden = le jour vient ⁴ in via ⁵ egészség = Gesundheit = santé ⁶ mily jó szímben van! = wie sie gut aussehen! = quelle bonne mine avez-vous

Salse dicta Stephani Széchenyi. 1. Széchenyi, si quid emit, fasciculum¹ ipse domum portavit. Aliquando fasciculum portans Michaeli Helmezy occurrit, qui: «Domine comes, — inquit — non piget² Vos tantum onus in via ferre?» — «Magis pigeret me, — respondit Széchenyi — si tales mihi vitae rationes³ essent, ut nihil domum portare possem.»

2. «Maximus Hungarorum» fumum⁴ sigarorum⁴ optimorum hauriebat.⁴ Aliquando in Academiā Scientiarum ivit et amiculum⁵ summum⁵ in quo sigaros habebat, in vestibulo⁶ reliquit. Cum post consessum⁷ egressus est, statim odorem suavem sigarorum suorum sensit, et quia scriba eo ipso momento cannulam⁸ sigarri in mensa posuit, comes: «Nisi me nasus fallit, — inquit — tu quoque in eadem fabrica sigaros emis, in qua ego, illo⁹ tantum⁹ discrimine⁹ interposito,⁹ quod tu minore pretio emis.»

Camilla Kiss disc. Angelani Scarabantini.

¹ csomag = Paket = paquet ² restel = sich schämen = avoir honte ³ viszonyok = Verhältnisse = relations ⁴ szivart szí = Zigarren rauchen = fumer des cigares ⁵ felöltő = Überzieher = pardessus ⁶ előszoba = Vorzimmer = vestibule ⁷ ülés = Sitzung = séance ⁸ szópóka = Mundstück = fume-cigares ⁹ csak azzal a különbséggel = nur mit dem Unterschiede = à cette différence près que

Alex. Petöfi: Mundus hibernalis.

Convertit Vinc. Bors Szegedinensis.

*Aliquis interfecit se,
Is hanc procellam attulit.
Flat ventus, ante tonstrinas
Catillus huc illuc salit.
Ubi beata nunc est vita?
In calida domo amica.*

*Lignator, uxor illius
Findunt et codicem serrant;
Infans panno velatus et
Procella clamando certant
Ubi beata etc.*

*In statione miles nunc
Incedit longis passibus,
Et numerat passus suos;
Quidnam agat iam melius?
Ubi beata etc.*

*Metalla fila in via
Slovacus fert aegerrime
Rubescit eius nasus et
Fluunt, frigore lacrimae.
Ubi beata etc.*

*Ab uno pag(o) ad alterum
Vagatur histrio miser;
Hibernam vestem non habet,
At esurit crudeliter.
Ubi beata etc.*

*Quid cingarus? ... friget quidem
Tentorio in perlevi;
Ventus pulsat inique, cum
Non dicat cingarus: veni!
Ubi beata etc.*

*Aliquis interfecit se,
Is hanc procellam attulit.
Flat ventus, ante tonstrinas
Catillus huc illuc salit.
Ubi beata etc.*

LECTORIBUS MEDIIS.

Nuntii recentissimi.

Demetrius Merescovschi, auctor notissimus litterarum Russicarum recentiorum, cuius opera in omnes fere linguas populorum cultorum¹ conversa libenter leguntur, nuperrime 76 annos natus in urbe Parisiis mortem obiit. Merescovschi anno 1865-o in urbe Petropoli² natus est. Adhuc juvenili aetate tragoedias Graecas, mox poemata variorum scriptorum in linguam Russicam conversa edidit. Praeterea libellos ad studia litterarum pertinentes scripsit, in quibus opera scriptorum Russorum diiudicavit. At aestimatissimae sunt eius fabulae³ Romanenses,³ quas ad normam philosophiae Hegelianae composuit thesin, antithesis synthesisque in illis distinguens. Fabularum notissimae sunt: De Christo et Antichristo: Julianus Apostata (in qua historiam enarrat imperatoris Romani, qui cultum Christianum reprimere frustra conatus, moriens fassus est «Galilaeum⁴ vicisse»); Lionardus de Vinci. Praeterea: De natu deorum, De arcano Trinitatis.

De Mensa⁵ Argentaria⁵ Commerciali⁵ Hungarica Pestinensi 100 annos expleti. Anno 1830-o quidam cives patriae amantissimi suadebant, ut mensa publica institueretur, quae mercatoribus pecuniam iusto fenore⁶ daret, ne ipsi — cum alio modo mutuum⁷ pecuniam⁷ sumere non possent — feneratoribus⁸ cogerentur fenus iniquissimum solvere. Anno autem 1841-o mensa publica (seu argentaria) fundata et etiam ab Rege et Imperatore Ferdinando I-o confirmata est diplomate Latino, ut sequitur: «Nos Ferdinandus primus... Actionariae¹⁰ Societatis¹⁰ humillimā supplicatione Nobis factā inclinati benigne concedimus, ut eadem Mensa Argentaria Commercialis in officio suis expeditionibus¹¹ proprio sigillo utatur...» Syngrapharum¹² quattuor Josephus Palatinus

Regius primus coëmit, qui etiam postea benigne Societati aderat. Anno autem 1848-o, tempore



Mensa Publica Commercialis Pestinensis.

belli pro libertate Hungariae tuenda, Ludovicus Kossuth praefectus¹³ aerario¹³ chartas¹⁴ nummarias¹⁴ per Mensam Publicam Commercialē emittendas curavit. Mensa argentaria nostra prima usque ad hunc diem princeps est omnium mensarum publicarum Hungaricarum.

Alex. Weber, disc. Schol. P. Bp.

¹ művelt = Kultur = civilisé ² hodie: Leningrad
³ regény = Roman = roman ⁴ Christum ⁵ Kereskedelmi Bank = Kommerzialbank = Banque Commerciale
⁶ kamat = Zins = intérêt ⁷ kölcsön = Anleihe = emprunt ⁸ uzsorás = Wucherer = usurier ⁹ uzsora = Wucher = usure
¹⁰ részv. - társaság = Aktiengesellschaft = Societé anonyme ¹¹ ügylet = Geschäft = affaire
¹² részvény = Aktie = action ¹³ pénzügyminiszter = Finanzminister = ministre des finances ¹⁴ bankjegy = Banknote = billet de banque.


De 40 annis Circuli Gyulaiani. Certe omnes Hungari gaudio afficiuntur audientes discipulos sententias Széchenyanas sequendo augere bona ingenii studere.

Idem sibi proposuit etiam circulus¹ ille sese¹ erudentium¹ qui industriam suam salutarem

¹ Önképzőkör = Schülerverein = cercle scolaire



Bocskayanum (Hajduböszörmény).



Torpedo de aere demittitur.

ante 40 annos in gymnasio-Bocs kayano Hajdu-böszörményiensi incohavit. Gymnasium nostrum operam² erudiendis militibus vitae publicae Hungaricae iam ab anno 1864 navat³ et circulus noster a Paulo Gyulai nuncupatus maximā approbatione³ respicit nunc ad laborem salutarem expletivum,⁴ quem per 40 annos praeteritos inter vitam et scholam faciebat.

Ex quo intelligi potest discipulos Hungaricos ne his quidem temporibus deiectos esse studio laudis et in futurum Hungariae se iam iam aperiens bonae spei plenos prospicere.

Emericus Györy disc. cl. VIII. praeses iuventutis.

² szolgál = dienen = servir ³ megelégedés = Zufriedenheit = contentement ⁴ hézagpótló = eine Lücke ausfüllend = substantiel

Nuntii bellic. Dum in Russia Germani sociique in hibernis collocati non nisi Russis depellendis operam dant, et in Lybia magnae multitudini Anglorum vix resistere possunt, Japonenses celeritate incredibili ceperunt insulas Hongkong, Philippinas, Sumatram, etc. et iam maiore parte Malacciae paeninsulae potiti nunc urbi Singapur appropinquant. Interim Americani Anglique territi tot ingentibus navibus aeratis in Asia amissis omnem fere Europam promittunt bolscevistis, quorum auxilio sperant se tamen victores fore.

Expositio antibolscevistica Budapestinensis picturis, tabellis statisticis multisque aliis documentis spectatoribus innumerabilibus inhumanam crudelitatem atque impietatem bolscevisitarum ad oculos demonstravit, qui Europam christianam in discrimen maximum adducere nunquam desinunt. In pictura nostra discipuli Academiae Militaris «Ludoviceum» nuncupatae communistas impetum facientes repellere conantur (pinxit v. *Theodorus Galántay* dux generalis).

Eyhemerides extraneae de latiniate nostra.

I. *Zürcher Zeitung* scribit de IUVENTUTE (3. die m. Dec. a. 1941):

Zeitschriftenjahau. P. B. Die in Budapest erscheinende lateinische Jugendzeitschrift „Iuventus“, die dieses Jahr ihr 25-jähriges Jubiläum feiern konnte,

bringt in ihrer Novembernummer den vollen lateinischen Wortlaut des Gratulations Schreibens des Papstes Pius XII vom 12. Juli 1941 an den schweizerischen Bundesrat bei Anlaß des 650 jährigen Jubiläums der schweizerischen Eidgenossenschaft. Die „N. Z. Z.“ veröffentlichte seinerzeit das päpstliche Schreiben, das für die Schweiz sehr schmeichelhaft lautet, in deutscher Übersetzung. — Im übrigen beweist der Schriftsteller, Dr. Josephus Wagner, in jeder Nummer, daß man auch in der sogenannten toten Sprache, wie das Lateinische gelegentlich abschätzig genannt wird, lebendigste Gegenwart schildern kann. Seine „Nuntii bellici“ und „Nuntii recentissimi“ bewältigen jede Erscheinung des gegenwärtigen Krieges, die militärischen so gut wie die politischen; so werden die Tanks „currus bellici“, die Kanonen „tormenta“ genannt und die russische Volkskommissare „tribuni plebis“ usw.

II. *Ephemeris Italiana Comando* (m. Dec.) laudat Hungaros, qui quamquam lingua Hungarica non ad familiam Indo-Germanicam pertinet, tamen tot per saecula colebant linguam Latinam. In serie exemplorum ex historia nostra sump-torum enumerantur reges S. Stephanus, Matthias, etc. qui effecerunt, ut non solum nobiles, sed etiam cives latine collocuti sint. Etiam renascimentum accipiendi Matthias rex Europam occidentalem antecessit.

Preces anno ineunte.

Ante fores anni venturi, cum necat omne

Crudeli se odio genus humanum fruimurque

Pace domi, volitant nobis nunc sensa animorum

Heroes ad nostros pugnantes patriae pro

Libertate atque acclamantes gentibus orbis

Terrarum: «Hungariae nolite, heus, laedere gentem!»

Omnibus his benedicat caeli Omnipotens rex,

Qui nostra vigilant patria pro atque salutem!

Robertus Frankl disc. Mátyásföldiensis.



Discipuli Academiam Militarem defendentes.

De primo automobilium fabricatore.⁽²⁾


Scriptis Carolus Simon. Convertit Carolus Acs Bp.

Hoc invento via munita est ad celerem progressionem et perfectionem benzinomotorii, quod nunc iam aptum est ad automobilia et aëroplana agenda. Memoriam tenendum est hodie, cum ingentes machinae³⁸ aerivagae³⁸ avium ritu aëris spatia secent, parte earum maxime necessariam, carburatore, Hungaricae industriae et scientiae praedicari laudem.


Ceterum Ioannes Csonka, cum de motorio in usum³⁹ communem³⁹ transferendo³⁹ atque eius perfectione⁴⁰ et absoluteione,⁴⁰ tum de condenda Hungaricorum automobilium fabricatione immortaliter meritis est. Post vehicula trirota supra memorata automobilia fabricari aggressus est. Primum eius automobile a. 1905. die 31. mensis Mai ex officina eius excursus fecit, quem diem, qui est dies natalis automobilium Hungaricorum fabricationis, memoriae probe infigamus. Posthac longus ordo automobilium homines oneraque ferentium secutus est. Automobilia Ioannis Csonka tam eximia erant, ut eius exemplo excitae⁴¹ tres aliae fabricae automobilium fabricationem susciperent, quibus ius automobilium fabricandorum concessit.

Ioannes Csonka septuaginta duos annos natus, cum alii in otium⁴² secedunt,⁴² ad parva motoria conficienda novam condidit fabricam, cui ipse grandis natu agilitate nunquam intermissa⁴³ praeerat. Operarii carum habebant senem fabricae praefectum, in quo laboris et industriae amorem consummatum⁴⁴ cernerent.

Ioannes Csonka a. 1939 impletis 88 annis de vita decessit, verum enim vero species⁴⁵ eius quasi vivum exemplum ex opifice facti domini fabricae commoratur inter nos subolem⁴⁶ iuvenilem opificum ad industriam et honestatem incitatura. Exemplo suo documentum dedit viam salutis⁴⁷ et fortunae⁴⁷ omnibus Hungaris patere et ad progressus faciendos proposito⁴⁸ recte constituto,



I. Csonka parvo suo automobili velitur (a. 1909).



Primum automobile Hungaricum, cuius carburator a. 1892 inventus est.

industriam constantem et operam probam, qualis sit Hungarica, opus esse.

Finis.

38 gépmadarak = Maschinenvögel = avions 39 meghonosítás = Einbürgerung = introduction 40 tökéletesítés = Vervollkommnung = perfectionnement 41 felbuzdulva = angeregt = stimulé 42 nyugalomba mennek = in den Ruhestand treten = prendre sa retraite 43 lankad = nachlassen = diminuer 44 megtestesülés = Verkörperung = incarnation 45 figura 46 nemzedék = Nachwuchs = génération 47 érvényesülés = sich geltend machen = se faire valoir 48 cél = Ziel = programme

Oscar Wilde: De Gigante superbo.


In breve cogit et convertit: Stephanus Klinger disc. cl. VIII. gymn. Cisterciensium Bp.

Gigas quidam potens magnos hortos habuit, ubi flores multaeque arbores pomiferae florebant. Aliquando Gigas ad amicum remota in regione visendum profectus est. Interea in hortis incultis pueri solebant ludere.

Multis annis post reversus, cum videret pueros in hortis suis, ut mos erat, ludere, iram inflammatus expulit eos et ne redire possent, hortos muro circumcinxit. Vere ineunte anni proximi aliis in lucis arbores summam pulchritudine virebant, tantum in horto Gigantis remanebant hiems, nives ventique gelidi. Gigas omnibus temptatis remediis neque causam intelligere, neque auxilium ferre poterat.

Aliquando mane cantus avium puerorumque tumultus excitavit eum. Nam per fissum¹ muri pueri intrabant hortos escendebantque in arbores, quae repente plenae pulcherrimorum florum factae sunt. Una tantum ex arboribus nive glacieque cooperta carebat floribus. Nam in hac arbore nullus sedebat puer. Parvulus quidem stabat infra, at non potuit sursum² eniti.² Nunc primum intellexit Gigas, cur ver in lucum suum non intra-

¹ hasadék = Spalte = crevasse ² felmászni = hinauf-klettern = grimper



1. Dolia olearia, 2. Theatrum Ostiense. (pag. 28).

visset. Sed adveniente Gigante pueri omnes attoniti diffugerunt et rursus hiems rediit avesque conticuerunt. Puer solus parvulus remansit prae lacrimis non videns Gigantem. Quem ita miseruit eius, ut eum et arbori imponeret, quae statim mirabilibus vestitus est floribus. Puerulus autem osculatus amplexusque est Gigantem.

Cum pueri perceperunt Gigantem parvulo non nocere, redierunt in arbores et cum eis regressum est ver. Gigas iussit muros dirui³ et sivit pueros in hortis quotidie ludere, quandocumque iis libet, et maximo cum gaudio spectabat eos saepe dicens multos se habere flores, quorum tamen longe pulcherrimi essent pueri. Eo magis dolebat, quod puerulum, qui id⁴ temporis⁴ se osculatus erat, nusquam videbat et nemo puerorum sciebat, quis et unde ille esset.

Solum pergrandis⁵ iam natu⁵ conspexit Gigas die quodam hiberno sub arbore illa florum pulchrorum plena puerum parvulum, qui se semel osculatus erat. Propere in hortos ivit et cum videret pedes manusque eius vulneratas esse, prostravit se, et puer dixit: «Aliquando ludebam in horto tuo, nunc tu venis in meis hortis lusurus.» Post meridiem pueri eum⁶ mortuum sub arbore floribus candidis opertum invenerunt.

³ lerombol = niederreißen = détruire ⁴ annakidején = damals = en ce temps ⁵ élemedett korában = hochbetagt = d'un âge avancé ⁶ Gigantem (Puerulus Christus erat)

Ostiam renascituram esse. (4)

Scripsit et in periodico suo «Tükör» eddidit Jos. Révai, convertit Aemilius Láng (Keszthely).

Ostia iam anno MDCCLXXXIII effodi coepta est, sed opus tantum ab anno MDCCCLV. ratione⁷⁸ procedit. Dante Vaglieri primus cognovit, quantum apud veteres Ostia valisset. Tabula memorialis parieti musei inserta eius operam magni momenti dignissimam esse omnium cognitione affirmat. Ab anno MCMX. Guido Calza iam rationibus hodiernae archaeologiae utitur. Quae nova via⁷⁹ effodiendi ab illo inita haud facilis est. Ostia enim ineunte medio aevo saepe exspoliata est, homines auri marmorisque avidi res eius pretiosissimas diripuerunt. Initio effossiones auctoribus pontificibus Pio VII. et Pio IX. factae sunt, sed ab anno supra dicto gubernium Italicum curam effodiendae Ostiae suscepit; fascismus vero vigilans extremam


manum operi imponet. Ad tempus exhibitionum internationalium urbs renascetur, antiqui horti denuo floreant, aqua aedibus urbis antiquis fistulis⁸⁰ supeditabitur et in theatro fabulae antiquae agentur. Guido Calza suam operam iam triginta annorum tum absolvit.

Incolae Ostiae non tantum mercaturam, sed etiam ingenium exercebant. Mercatores divites magnam partem homines culti fuerunt, qui pecuniam pro artibus libenter profuderunt. Circiter

quadringenta opera artificiosa sunt nota in museis diversis Romae et Europae dispersa. Artificia autem proximis annis effossa iam museum Ostiense custodit. Novissime centum octoginta opera singulari arte perfecta sunt inventa: signa, diversa opera caelata et aenea atque monetae⁸¹ cypreae⁸¹ argenteaeque, XCVIII pavimenta, tria missiva marmorea et CXXIII tabulae pictae. Pretiosissima sunt signa: in primis signum Mithrae tauricidae,⁸² opus Cronis Atheniensis, qui ineunte aevo Caesariano Romae vixit et sculpturam exercebat; porro Theseus et Ariadne, dein Aphrodite Anadyomene atque Amor et Psyche necnon statuae⁸³ iconicae⁸³ Caesarum et Augustarum, postremo altaria. Quae omnia antiquo opere et summo artificio sunt facta. Ostia igitur digna fuisse videatur humanitate atque mente Romana.

Urbs, quae ante duo milia et quingentos annos florebat, renascetur et vivet et florebit, quin immo iam nunc proque vivit. Ruinae urbis emortuae floribus⁸⁴ spirant⁸⁴ et super sepulchra incipit nova vita, in qua spiritu saeculi vicesimi praeterita saecula reviviscunt. Inter Romam et Ostiam curribus electricis comiteatur, in portu Ostiensi commercium iterum frequens est et in ora mari-

⁷⁸ tervszerűen = planmässig = méthodiquement
⁷⁹ módszer = Methode = méthode ⁸⁰ vízcső = Wasserrohr = tuyau d'eau ⁸¹ rézpénz = Kupfergeld = monnaie de billon ⁸² bikaölő = Stiertöter = meurtrier d'un taureau ⁸³ természetes nagyságú = szobrok Porträtstatue = statue de grandeur naturelle ⁸⁴ odores florum exhalant



1. Mithras tauricida. 2. Theseus et Ariadne.



tima denno villae amoenissimae aedificentur. Ostia renata et Roma moderna iterum in unum coalescent. *Finis.*

De quaestione iudiciaria. (2)

Ex libro *Geysa Gárdonyi* «Az én falu» intitulo. Convertit *Mater Anna Bencze* I. B. M. V. (Kecskemét).

Deinde etiam altera mulier venit, uxor Harmaci, cuiusdam vilici, aetate haud propecta, genis iusto maturius flaccescentibus,²⁷ oculis nigris. Etiam illa paulum gradum sistit, cuius filium parvum, ut in scholam acciperem, petens.

Quamquam puerulus nunc tantum quinque annos natus est, tamen adnui petenti, praesertim, quia mulier semper tristis est. Cur maesta sit, nescio. Bonum maritum habet et pacatam aetatem conerunt. Nec pauperes dici possunt. Eadem adhuc tenera puella amore nescio cuius domini, haud humili loco orti capta esse traditur, quo etiam nunc dolore afficiatur. Mulier ex vicino comitatu est, cuius in pagum inde amplius quam quattuor horas pedibus eundo advenias. Fieri potest, ut solam ob eam causam sermunculi divulgentur de ea, quod non sit huiusloci. Ergo paulisper sermonem habui cum duabus feminis, quas deinde reliqui. Cum tablinum²⁸ meum intrassem pipamque fumatoriam accendissem, succurrit mihi, me duos captivos habere.

In scholam introspicens ambo sceleris participes in pulvere usque ad tectum volitanti intra fenestram portamque apertam capite nudato sedere video. Et quidem ambo in suo subsellio. Sedent quasi muti, manibus circum pectora iunctis. Quorum vultus in meditando atque sollicitudine defixus erat. «Agite! Venite in tablinum meum!» — dixi. Lente proceditur. Amborum ex humeris dependent perae ex lino factae. In pera Martini mälum Cydonium quoque eminet. Consido in quadam sella. Duo pueri ad nutum²⁹ meum ante me gradum sistunt. Assistunt ante me, uti latrones sub cruce. «En Martine Nagy, primum tu loquere!» — imperavi.

Martinus Nagy linguā haesitanti enarrat novum libellum a se emptum esse, vasculumque vitreum attramentanti ab Ioanne protrusum esse. Tunc desinit narrare.

— «Porro! Nondum ad umbilicum³⁰ duxisti!»

— «Ego... h deinde... h ego... h deindeh... alapam duxi... h ei... h.»

— «En nunc Ioannes Koszo loquendi veniam habeat!» — Ioannes Koszo aliquanto quietior est, tantum nasus superciliaque³¹ tremunt. Certe iam persaepe casum permeditatus, proprium peccatum multo minoris ducit, quam Martini.

— Hem, non vidi, quid Martinus faceret — fatetur, quasi insons sit — ubi primum me verti, forte attramentarium ictu protrusum est.

— Si scivisses attramentum manu eius teneri, decussisses eum?

— Nullo modo.

— Age Martine Nagy, accusasne adhuc peccati Ioannem?

— Non... h.

— Rectene fecisti, quod alapam ei duxisti?

Non statim respondit, velut si quid devoravisset iterumque devoravisset, nullus sermo ex gutture venit. «Ergo?» — urgeo. Oculis lacrimis suffusis respondet: «Non... h.»

— Scisne te magnam culpam commisisse?³² — Ignorasne vultum humanum florem animae esse?

Si quis vultum ferit, animam ferit. Anima autem pars nostra a Deo accepta, id est pars nostra divina est.

Ex oculis pueri lacrimae labuntur. Haud facile verba intellexit, sed etiam ipse accentus vocis intelligendus est, cum ad cor loquitur... «Poenitetne te hoc fecisse?» — interrogo.

— Poenitet me.

— «Ergo si te poenitet facti tui, da osculum, ubi verberasti!» — Ioannes advertit ei dextram partem faciei suae, cui Martinus poenitens osculum crepitans³³ dedit. Deinde rursus assistunt, oculis exspectantibus, sed iam magis sedati.

— Ioannes irasceresne adhuc Martino?

— Minime ei irascor.

— At cum is iam non habeat attramentum, visne cum eo attramentum tuum dividere?

— Volo.

— Tunc licet vobis discedere.

Per fenestram oculis sequebar eos. Foris in via publica nivosa cum silentio lente gradiebantur alter iuxta alterum. In clivo apud crucem Martinus restitit. Manum cubito³⁴ tenus³⁴ in peram immittit, Ioannes postquam etiam ipse constitit, obstupuit, quid operaretur. Martinus ab ima pera haud exiguo labore prompsit mälum Cydonium haud mediocre vilemque cultellum³⁵ plicatilem³⁵. Mäli Cydonii dissecti dimidium Ioanni praebuit. (*Finis.*)

²⁷ hervad = verwelken = faner ²⁸ iroda = Kanzlei = bureau ²⁹ intés = Wink = signe ³⁰ veleje = das Wesentliche = essential ³¹ szemöldök = Augenbrauen = sourcil ³² elkövet = begehnen = commettre ³³ cuppanós = schmatzend = sonore ³⁴ könyökig = bis zum Ellenbogen = jusqu'au coude ³⁵ bicska = Taschenmesser = canif

AENIGMATA

Solutiones aenigmatum numeri III (m. Nov.):

1. Avis, veni, in eo, Sion. — 2. S, os, ros, eros, heros. — 3. Alea, lea, ea, a, da, uda, suda. — 4. «Externus timor maximum concordiae vinculum» Livius dicit. — 5. Talis grex, qualis rex. — 6. O superbe, tua superbia te superabit. Terra es et in terram ibis. — 7. Regibus longae sunt manus. — 8. In hoc signo vinces. — 9. Musa, Susa. — 10. *Ad libram*: 1. Ne sutor ultra crepidam. 7. Eraro (orare). 8. No. 10. Axi. 11. I. R. 12. Ora. 14. Lago(e)na. 16. M D I. 17. Toga. 18. Ac. 19. Nisui. 21. R R R. 22. Inopinate. 25. Se. 26. Sto. 27. A P. 28. Valens. — *Ad perpendiculum*: 1. Non omnis moriar. 2. Se. 3. Ural. 4. Taxati. 5. Origo. 6. R(h)o. 9. Ordine. 11. In. 13. Ais. 15. Ogra (Argo). 18. Arta. 20. Upsala. 23. Iter. 24. Non. 28. Vi. 29. S M.

Aenigmata recte dissolverunt ex 26 scholis 161 discipuli.

Praemium ab Societate Mag. Cath. Med. Sch. donatum sorte obvenit: Annae Fridli (*Angelanum*), Stephano Gyökér (*Scholae Piae*), Theresiae Weiss (*Giselanum*), Evae Kékesi (*Veresianum*), Francisco Vörös (*Keményanum*), Georgio Kókai (*gymn. IPEA*), Edithae Bánlaky (*Sophianum*) *Budapestinensibus*; Francisco Liska *Bajano*, Belae Buzánszky *Dombovariensi*, Venceslav Bitskey *Jászberényensi*, Emerico Kovács *Keszthelyensi*, Ervino Rafael *Claudiopolitano*, Hippolyto Kiss *Makonensi*, Ladislao Kazimir *Miskolciensi*, Georgio Adler *Mohácsiensi*, Irmae Szabó *Magno-Varadinensi*, Joanni Bapt. Bibor *Pestszentlőrinciensi*, Mariæ Házi *Scarabantinae*, Francisco Vácz *Szentesiensi*, Tiburtio Muraközy *Tatano*, Mariæ Böhm *Zalaegerszegiensi*. Irenae Vaszkó (*Szilagyianum* Bp).

1. *Quadratum magicum.*

1.	2.	3.	4.						
				A A A E	1. Diligor,				
				E E M M	2. Pontus, pelagus.				
				O O R R	3. Precatur, petit.				
				R R T T	4. Instrumentum piscatoris.				

Eva König disc. Veresiani Bp.

2. *Ad saltum equulei.*

		ti-	du-		
	tes	In-	ti-	li-	
us	os	gan-	ter	det.	
		ter-	gau-		

Dion. Szentgyörgyi disc. Cist. Agriensis.

3. *Aenigma rotundum.*

Si recte inveneris primam litteram, sinistrorsum circumiens quaere tertiam quamque litteram, dum adversarium Julii Caesaris accipias.

Iosephus Németh Ginsiensis.

4. *Quaestio iocosa.*

Tu es filius meus, sed ego non sum pater tuus. Ergo quis sum? *Ilury Verena* disc. Lucanensis (Helvetia).

5. *Aenigma grammaticum.*

Olim litterati latine loquebantur, alii bene, alii male. Ludi magister quondam dixit discipulis suis:

«Audite pueres, Ite ante nobis,
Imus ad funeres! Nos imus post vobis.»

Sicut videtis, exitus versuum quamquam eiusdem soni sunt, tamen mendosi sunt. Emendate igitur!

Lad. Karimét disc. Frateriani (Miskolc).

6. *Aenigma arithmeticum.*

Tabernarius quidam in corbe ova posuerat. Primus emptor dimidiam partem ovorum et unius ovis emit. Secundus similiter emit dimidiam partem ovorum reliquorum et unius ovi, tertius ovorum, quod restat, emit, quo facto corbis vacuefactus est. Quot ova habuerat tabernarius et quot singuli emptores emerunt? (Emptores omnes ova non nisi integra accepisse per se intellegitur.)

Aeliüs Chirlandä disc. Lucanensis.

7. *Angulus magicus.*

1. A A A A C	1. Animal domesticum.
2. I I I I	2. Fluvius in Latio.
3. I. N N	3. Forma aquae hiemalis.
4. S S	4. Vox asini.
5. X	5. Consonans.

Gabriel Tánzos disc. Cist. Bajanus.

8. *Logogriphus.*

Celeris sum bestia, Sed vocalis si una
Parva et domestica. Datur mihi postuma:
 Calebant me poëtae
 Athenis, sicut Romae.

Frid. Kreiner disc. Schol. Piarum M.-Canissanus.

9. *Ex sententiis.*

..... pacem, para bellum.
..... mens recti famae mendacia ridet.
..... sibi, maximum imperium est.
..... sapientia regitur mundus.
..... arma silent Musae.
..... dum metuunt.

Primae litterae harum sententiarum expletarum clarissimum ducem Romanorum indicant.

Franciscus Szakdes disc. Bolyayáni.

Nota. Lectoribus minimis: 1—5, mediis et maioribus 6—9. — Quisquis aenigmatum tot solvat, quantum potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a professore suo collectas in communi involucro epistulae ad moderatorem *J. Wagner* (Budapest, XI., *Lágymányosítva* 20.) mittant.

Terminus solutionum: Calendae Martiae.

Epistolia officialia.

Corrigenda numeri IV. (m. Dec.): pag. 29: pro «sortes eosque» lege: sortes easque. — pro: «exanimatam» lege: examinatam. — pag. 31: pro «In Hungaricum» lege: In Latinum.

B. Tislerus. Accepistine 13 annos IUVENTUTIS ad Te missos? — *Lectores Lucanenses?* Quo modo valet magister egregius H. Villa? — *Rev. C. P. Clausen.* De re metrica nemo scribere vult. Ceterum his temporibus belli, cum propter penuriam papyri non 16, sed 8 tantum paginas singulis mensibus edere licet, ne tum quidem, si quis scriberet, tam longam dissertationem edere possem. Vale! — Mense Oct. 36, Nov. 35, Dec. 38 lectores opuscula ad me miserunt, quae non nisi successive edere possum. Discipulorum carnina breviora, si metrica vitia corrigi possunt, publicantur (sic nunc *R. Frankl, I. Szedlák*). Qui ignorat leges metricas et grammaticas, cur audet Pegasum conscendere? — *I. Holpert.* «Homo, quo vadis? Mittam tibi materiam hilariorem, nam «Gaudeamus igitur, iuvenes dum sumus!» — Moderator gratias agit quam maximas omnibus, a quibus anno ineunte gratulationes accepit.